



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De non attrehendo sibi res exteriores. xliv

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

3. Nam quidam amando me intimè, didicist diuinà, & loquuntur mirabilia. Plus profecit in relinquendo omnia, quàm in studendo subtilia. Sed alijs loquor communia, alijs specialia; aliquibus in signis & figuris dulciter appareo, quibusdàm verò in multo lumine reuelo mysteria. Vna vox librorum, sed non omnes atque informat; quia intus sum doctor, veritas, scrutator cordis, cogitationum intellector, actionum promotor, distribuens singulis sicut dignum iudicauero.

CAPVT XLIV.

De non attrahendo sibi res exteriores.

Galat. 6.

1. **F**ili, in multis oportet te esse inscium, & æstimare te tãquam mortuum super terram, & cui totus mundus crucifixus sit. Multa etiam oportet surda aure pertransire, & quæ tuæ pacis sunt magis cogitare. Vtilius est oculos à rebus displicentibus auertere, & vnique suum sentire relinquere, quàm contentiosis sermonibus deseruire. Si bene steteris cum Deo, & eius iudicium aspexeris, facilius te victum portabis.

2. O Domine, quonam venimus? Ecce damnum defletur temporale, pro modico quæstu laboratur & curritur, & spirituale detrimentum in obliuionem transit, & vix serò reditur. Quod parum vel nihil prodest attenditur, & quod summè necessariũ est, negligenter præteritur; quia totus homo ad externã defluit. Et nisi citò resipiscat, libens in exterioribus iacet.

CAPVT XLV.

Quòd omnibus non est credendum, & de facili lapsu verborum.

Psalm. 59.

1. **D**A mihi auxilium Domine de tribulatione, quia vana salus hominis. Quàm saepe ibi non inueni fidem, vbi me habere putauit? Quoties etiam ibi reperi, vbi minùs præsumpsi? Vana ergo spes in hominibus, salus autem iustorum in te Deus. Benedictus sis Domine Deus meus in omnibus, quæ accidunt nobis. Infirmi sumus & instabiles, citò fallimur & permutamur.

Prov. 10.

2. **Q**uis est homo, qui ita cautè & circumspecte in omnibus se custodire valet, vt aliquando in aliquam deceptionem vel perplexitatem non veniat? Sed qui in te Domine confidit, ac simplici ex corde quærit, non tam facillè labitur. Et si incidit in aliquam tribulationem, quocumque modo fuerit etiã implicatus, citius per te eruetur, aut à te consolabitur; quia tu non deseris in te sperantem, vsque in finem.

3. **R**arus fidus amicus, in cunctis amici perseverans pressuris. Tu Domine, tu solus es fidelissimus in omnibus, & præter te nõ est